





1735

1. Bestineller, Gotthardus Christianus, Ord. juristici. Pro. Decanus:
Lectori benevole s. p. d. (ad Disputationem solennem Fidei
vri Benedicthi Carpzovii invitatus).
2. Bruck, Henricus: De possessore bonae fidei circa actio-
nem de signo juncto et rupto et obligato.
3. Carpzovius, Fideus Benedictus: De murcis Von pultrows.
4. Carpzovius, Filixten Benedictus: De eo, quod contractum
est, in nuptiis personarum diversae religionis.
5. Cellius, Christoph. Ludovicus: De monumentis secundum
voluntatem testatoris faciendis ad l. 14 § 6 ff. de rebus.
6. Cellius, Christoph. Ludovicus: Praesumptionem aequalitatis
in judiciis Divitiis et actione negatoria ad l. 7. ff.
de rebus. . . defendit.
7. ^{7^{to}} Cellius, Christoph. Ludovicus: In conditione, quae propter
causam impleri nequit pro impleta habetur?
8. Krausius, Joh. Christoph. : De eo, quod pactum est in co-
nuptiis personarum diversae religionis.
9. Krausius, Joh. Christoph. : De pactis unilateralibus defuncti
matrimonii in terra juris benevolae communi a successoribus
excludentibus.

10. *Legesum, Augustinum*: ~~Vomitorio~~ De caede per duos
et unum privatis licita.
11. *Legesum, Augustinum*: De marito jure et alterius pro-
natore
12. *Legesum, Augustinum*: De jure per duellum supplicis
in iudici causa
Leges - Kuttel
13. *Legesum, Augustinum*: De infamia stupri atolende.
14. *Legesum, Augustinum*: Libertatem in auctoritas rei-
publicae necesse et providere . . . Dependet
15. *Legesum, Augustinum*: Quaeque et alterum per
conjecturas prohibetur.
16. *Legesum, Augustinum*: Controversias testimonialis
nummular . . . publice disceptat.
17. ^{ab} *Legesum, Augustinum*: De poenis ministrorum prin-
cipis delinquentium. 29 exempl.
18. *Legesum, Augustinum*: De incendiariis Vltro in
Monsbrenner.

19. Leqerus, Augustinus: De jure conjugis & bona conjugis adulterantis
20. Menckenius, Godefr. Ludovic. Ord. jurconsultorum. . . . Decanus: Lectori honorato s. p. D. (et Disputationem solemnem Alberti Antonii Wernerii invit.)
21. Mencker, Godefr. Ludovic.: Ord. jurconsult. . . . Decanus: Lectori honorato s. p. D. et jus Cerevisiarum civitatum Saxonicarum ad militare omnino restitutum esse demonstrat (et Disputationem Joanni Christophori Pedleri invit.)
22. Menckenius, Godefr. Ludov.: Jus fisci vero adhaerens imperio . . . disputat.
23. Mencker, Godefr. Ludov.: De jure prohibendi Cerevisiarum civitatum Saxonicarum ultra militare extendi solita in ordinat. d. A. 1558. non fundat.
24. Menckel, Christ. Godefr.: Ord. medicorum . . . Decanus: Lectori honorato s. p. D. eundemque ad tria. ineq. medicum (Joh. August. Postemuth) invit.)

25. Struvinus, Gualtero: De feudorum divisio-
nibus.

26^a Struvinus, Gualtero: De personis feuda consti-
tuentibus et representantibus.

27^a ~~27~~ Weidner, Jo. Fridr: Utrum poreda Salentibus
Agris crepta vindicari possit. 2 Temp

26^b Vater, Abraham: Dissertatio inaug. medice. forens.
que valor et sufficientia signorum infantum
vivum aut mortuum ad rem argumentum ad P-
judicium infanticidii examinetur.

26^c Wagner-Schnabel

~~27 a unter 28~~

Q. D. B. V.
EX IVRE MILITARI

1735

26

3

DE
M V R C I S

Don POLTRONS

AD DIEM VI. IDVVM OCTOBRIS ab 1735
IN ALMA WITTENBERGENSI

PVELICE DISPVTABVNT

P R A E S E S

FRIDERICVS BENEDICTVS
CARPZOVIVS

I. V. D.

ET RESPONDENS

CHRISTIANVS RVDOLPHVS
HERZOG

LOEBNITIO - MISNICVS

I. V. S.

WITTENBERGAE
EX OFFICINA HAKIANA.



EX IVRE MILITARI

M V R C I S

SON POLTRONS

IN ALMA WITTEBERGENSI

PUBLICO DISERTANT

P. R. A. S. S. E. S.

FRIDERICVS BENEDICTVS

CARPOVIVS

I. V. D.

ET RESPONDENS

CHRISTIANVS RYDOIBIVS

HERZOG

LOEBNITIO MISTICVS

I. V. S.

EX OFFICINA HAKIANA



PERILLVSTRI AC EXCELLEN-
TISSIMO DOMINO

DOMINO

HENRICO RVDOLPHO
DE **SCHOENFELD**

DYNASTAE IN LOEBNITZ

RELIQVA

SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE
POLONIARVM REGIS AC SAXONIAE
ELECTORIS SACRI CVBICVLI COMITI
SPLENDIDISSIMO

DOMINO SVO PERINDVLGENTI

ATQVE

PATRONO OPTIMO MAXIMO

PROSPERRIMVM FLORENTISSIMVMQVE
FORTVNAE STATVM
PIE PRECATVS
HOCCE
QVICQVID EST SPECIMINIS ACADEMICI
IN
SEMPITERNVM DEVOTISSIMI ANIMI
DOCUMENTVM
SACRVN ESSE CVPIT

OBSEQVIOSISSIMVS RELIGIOSISSIMVSQVE
CLIENS
CHRISTIANVS RVDOLPHVS HERZOG.

PROOEMIVM.



pprime conveniens est his temporibus, quibus Germaniam, Italiam, & Poloniam arma personant, disputare in Academicis ex Jure Militari. Tantum enim abest, ut inter arma fileant leges, ut quæ earum severa disciplina imperium militare consistere nequeat. Equidem

hæc severitas legum istarum plerumque iis vitio dari solet, ac si ab æquitate naturali nimis recedant, & summum hinc jus summa sæpe sit injuria. Sed ipsi iniqui sunt, qui ita judicant, dum id vituperant, quod in Jure Militari inprimis laudari meretur. Enimvero in bello non licet bis peccare, atque nihil neglectum in eo culpa vacat. Hinc atrocitate poenarum deterrendi sunt a peccandi licentia, qui alias sibi nihil non licere putant. Patria, libertas, cives, atque adeo ipsi reges latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis. Quanto jam studio hanc regi fas est, ne damnum, quod ex ejus neglectu oritur, omni Reipublicæ exitium afferat. Aspero denique & abscesso castigationis genere militaris disciplina indiget, quia vires armis constant, quæ ubi a recto tenore desciverunt, oppressura sunt nisi opprimantur; uti ex vero judicat VALERIVS MAXIMVS. Ita vero fit, ut minima sæpe, quæ Prætor non solet curare, *l. 4. D. de in integr. restit.*

ducis bellici coercionem haud effugiant. Documento sunt leges apud VOPISCVM lib. XIII. *Aurelian.* sequentes: *Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uxam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum nemo exigar;* Item Sanctio militaris, quæ in *Käyff. Ferdinand. III. und Leopold. I.*

pol. I. Articulus-Brief Artic. 42. aliisque Ordinationibus bellicis, quæ in Corpore Juris militaris novissimi sub voce: Schildwacht, in Indice videri possunt, de agentibus excubias ita cavet: Da einer auf der Schildwacht schlaffend gefunden wird, oder sonst, ebe er abgelost, davon gienge, der soll an Leib und Leben gestrafft werden, ohne alle Gnade. Hinc Timiditas, quæ in aliis hominibus justam excusationem habet, in persona militis capitale crimen habetur. Extat in hanc rem Articulus XXVII. ante citato loco: Ob einer oder mehr wären, die Flucht im Felde oder sonst machen, so soll der nechste in den oder dieselbe stechen oder schlagen, und ob einer, der also die Flucht machen wolte, darüber zu Tode geschlagen würde, so soll sich niemand an ihm verwürckt, sondern grossen Danck verdienet haben; cum quo magno numero Leges reliquæ consentiunt, quæ in Corpore Jur. citato sub voce: Feldstüchrige, allegatæ sunt. Nec solum in constitutis in acie severe adeo punitur meticulositas, verum illi quoque, qui ex nimio sui amore, & vitæ cupiditate, & turpi laborum fuga, munus militiæ plane subire detrectant, a pœna non immunes habentur. Dicebantur ejusmodi homines, qui vel priorum membrorum mutilatione id efficere conarentur, ut ne milites fierent, olim MVRCI, hodieque a Germanis Gallico vocabulo appellantur POLTRONS. Constitui de horum origine & pœnis quædam non injucunda ex Antiquitate bellica repetere, quod neminem hætenus ex instituto de delicto hoc militari exposuisse memini. Nec omnino utilitate carere existimo eam tractationem, siquidem hoc tempore indices militum delectum haberi constat, & hinc sæpe in conferendo milite quæstio incidere potest: an quis cogi debeat, ut nomen daret militiæ? sæpe etiam subditorum animis illud obversari: an præster, corpus suum debilitando, se inhabilem reddere militiæ, quam castra sequi, ubi nulla salus esse videtur? Faxit Deus, ut singula feliciter expediám!

I.

Murcus est vox latina, sed quæ Græcos natales habet, & descendit a μαλακός, mollis.

II.

Primitivum ejus est murcidus, a quo & denominatur Murcia Dea.

III.

Vox Gallica Poltron descendit vel a latina: Pullus, vel ab Italica: Poltro, pulvinar, idemque hodie valet, quod olim appellatio Murci.

An tequam de Murcis ipsis agam, quædam delibanda sunt de nomine eorum. Appellationis hujus primus mentionem facit Historicus Seculi IV. AMMIANVS MARCELLINVS, qui lib. XV. c. 12. de Gallis hæc refert: *Ad mirandum omnis ætas aptissima, & pari pectoris robore senex ad procinctum ducitur & adultus, gelu duratis artibus & labore assiduo, multa contemturus & formidanda. Nec eorum aliquando quisquam, ut in Italia, munus Marrium pertimescens pollicem sibi præcidit, quos localiter MVR COS appellant.* Eiusdem meminit INNOCENTIUS I. qui sub idem fere tempus, quo scripsit Ammianus, ad Felicem, Nucerianum Episcopum, hæc dedit: *Scripsisti, quod fervore fidei quo polles & amore sanctæ plebis, vel reparaveris Ecclesias Dei vel novas quasdam construxeris; sed in his Clericos quos constituas non habere, aliquos vero MVR COS, aliquos bigamos esse. Ad quod stupuimus, prudentem virum de his voluisse consulere, quæ omnibus sunt certa ratione comperta. Ergo non quasi ignoranti dicimus, sed in aliis forsan occupatos istud oblitos vos esse dicimus.*

Qui igitur partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens absceidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt; cui vero casu aliquo contingit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percussit, hos Canones præcipiunt & Clericos fieri, & si in Clero fuerint reperti non abjici. Pars hujus Epistolæ inserta legitur in Decreto Gratiani c. 6. dist. 55. Apparet inde, quod τὸ Murcus latinum sit vocabulum. Ammianus enim in loco citato dicit, eos *localiter* sic appellatos fuisse. Vulgo quidem legitur: *jocaliter*, sed falsa est ea lectio, uti ex editione Romana & Regio Codice MSto probat HENR. VALESIVS in *Commentario in Ammianum ad b. l.* apposite ex eodem scriptore allegans sequentem locum parallelum: *Hic Beza Dei localiter appellati Oraculum quondam futura pandebat.* Sive autem dicas cum JAC. GOTHOFREDO in *Commentar. ad Cod. Theodos. Tom. II. fol. 375. b. Edit. Lugd. 1665.* Gallos, jam latinam linguam edoctos, Murcos appellasse, qui pollicem sibi præciderant; sive cum VALESIO locum Ammiani ita interpreteris: quos Itali murcos *localiter*, i. e. more loci seu patria lingua appellant, res redit eodem. Originem vocis *Murcus* VOSSIVS in *Erymologico* arcessit a Græco μάλας, mollis, unde μαλὸς, (quæ vox ab *Hesychio* recensetur, & a qua *marcus* & *marcidus*) & Æolice μυλὸς, (ut γλάφω γλῶφω, scalpo sculpo) Latine vero *Murcus* derivatur. Altius eam adhuc repetere mavult ÆGID. MENAGIVS in *Amoeniz. Jur. Civ. c. 3.* ab inusitato μόλος, de quo multa habet p. 19. seq. sed in eo p. 18. mihi falli videretur, quod τὸ murcidus, quo verbo utitur PLAVTVS in *Epidico act. 3. sc. 1.*

Væ tibi homo murcide!

habeat pro diminutivo a *Murcus*. Derivatum enim non potest esse prius suo primitivo. At recte observat VOSSIVS l. c. non *Plauti*, sed *Ammiani* demum temporibus obtinuisse appellationem *Murci*, a pollicibus præcis; nec factum illud

lud minute, sed extremæ prope socordiae esse argumentum.
 Potius ergo *murcidi* illius Plautini denominativum est MVR-
 CVS. Neque vero legendum est in Plauto: *muricide*, ut
 videatur tanquam joculariter ignavo exprobratum, ut qui
 hostem non potuisset mures cæderet, quasi *μυρσιδός*: uti lo-
 cum illum explicat FRID. TAVBMANNVS in *Commentar.*
in Plautum p. 502. A. 2. ubi ejusmodi murcidos a Wonsefi-
 nis suis *Grillenstecher* vocari scribit. Nam a muribus cæden-
 dis muricida quis dicitur, ut homicida, parricida, &c. non
 muricidus. Ab eadem vocis Murcus origine descendit Mur-
 cia Dea, de qua TERTVLLIANVS *de Spectac. c. 8.* *Mur-*
ciam deam marcoris volunt; ARNOBIUS *lib. IV. p. 132.* *Quis*
segnium deam Murciam? & AVGVSTINVS *de Civit. Dei*
IV. 16. *Vocaverunt deam Murciam, quæ præter modum non*
moveret, ac faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum i. e.
nimis desidiosum & inactuosum. Non autem consulenda ea
 est cum Venere, quæ etiam Murtia vocari solet a myrto,
 quam in sua tutela habet: de quo tamen videatur DEMP-
 STERVS in *paralip. ad Rosini Antiq. Rom. p. 184. ed. Lugd.*
1663. Opponitur ei Dea Strenua, quæ homines impelleret,
 ut strenue fortiterque agerent. POMEY *Panth. Myrb. p. 228.*
 Ex hætenus vero dictis constat, quid habendum sit de singulari
 vocis nostræ originatione, quam habet GVIETVS *ad Plautum*,
 qui *ἀπό τῆς ὀνόμας* *pigritia* deducit; itemque de ea quam affert
 MARTINI in *Lexico Etymologico*, ubi Murcos a voce *Murzelen*, in
 parte Westphaliæ (item in Thuringia) nota, & sibi vernacula
 denominari putat. *Murzeln*, inquit, *est incompositæ secare,*
ut fit culero parum acuto aut incisuris rupto ac velut serrato, ut
v. g. in pane inter secandum micæ ob sectionis inæqualitatem, &
partium divisarum asperitatem ac superficiem solutam excidunt.
Videmur autem a morsu; aut a μέρειν i. e. dividere id summissè;
nisi a mutilo, infero R. Satis de etymo vocis: Murcus, cui qua-
sentum æquipollet vocabulum Gallicum: Poltron, quod hodie
 fre-

frequentatur apud nos de ignavis ac timidis militibus, quales olim fuerant Murci. Non tamen ideo existimari debet, quod Poltrons dicantur a pollicum truncatione, quæ conjectura est SAVARONIS *ad Apollinarem Sidonium lib. 1. epist. 2.* BVRDELOTI *ad Perronium*, LINDENBROGII *ad Ammianum*, SALMASII *de Trapezitico foenore*, & VOSSII *in Etymologico*; sed aut derivantur ii a Pullo seu Pullitris, qua voce VARRO *de re rust. lib. III. c. 9.* ova gallinarum notat, & a qua PLAVTO dicitur *pullaria manus*, quæ σκυμάλισα solita est. TVRNEBVS *Adversar. lib. III. c. 11.* Pulli enim seu quivis animalium fetus timidi sunt natura, hinc merito ignavum & timidum, qui ut juvenculus *ἐκ ὀδίν πολυμήα ἔργα*, uti HOMERVS loquitur, Romani pullitrum, Itali vero Poltrone, indeque Galli Poltron dixere. Aut deducendum est vocabulum hoc ab Italico: *Poltro*, q. d. qui semper pulvinar domi premit. Utramque Etymologiam adstruxit MENAGIVS, illam in *Amoen. Fur. p. 16. seq.* hanc in *Origin. Lingu. Francica.*

IV.

Murci dicuntur, qui defugiendæ militiæ causa sibi ipsis digitos præcidunt.

V.

Pollex militibus inprimis usu venit.

VI.

Hinc pollicis truncatione hostem multare olim receptum erat, eademque poena milites fures aut fugitivi afficiebantur.

VEGETIVS *de re miliz. lib. 1. c. 6.* in tyrone requirit etiam valentia brachia & longiores digitos. Tenebrionibus ergo, uti vocantur VARRONI apud Nonium Marcellum, qui

qui declinabant usum armorum, moris erat scelerare manus suas, (de qua Phrasi Plautina videatur TAVBMANNI *Comment. p. 1486. B. 1.*) vel etiam pedes, amputatione digitorum, aut unguium resectione, ut inidonei fierent servitiis militaribus. Inprimis pollex militibus usu venit, quod destituti eo nec olim hastam vibrare poterant, nec hodie gladium stringere, aut sclopetum explodere, aut aliis militaribus exercitiis rite & commode defungi queunt. Imo plane manu non valent Murci, cum tamen teste VIRGILIO *Aeneid. X. 280.* sit

in manibus Mars ipse, viri!

Pollex, uti MACROBIUS *Saturnalium lib. VII. c. 13.* autor est, nomen ab eo quod pollet accepit, nec minus quam tota manus semper in officio est; unde apud Græcos *ἀντίχειρ* vocatur, quasi manus altera. Quod si etiam, quæ est opinio MENAGII in *Amoen. Jur. p. 14. seq. ἀπολλός*, magnus, amplius, derivetur, id quidem ejus præstantiæ non minus convenire docet IDEM *l. c.*; unde & *μέγας δάκτυλος* JULIO POLLVCI appelleretur in *Onomastico*. Semper ergo, enervati hominis & nullius vigoris, Hieroglyphicum fuit, manus expansa quæ pollice caret, D. CASP. FRID. SCHAMBERG, *Disp. de Jure digitorum, c. 3. §. 12. Lips. 1715.* Et obtinuit inde, ut qui hostem captivum ducerent ac providere vellent, ne denuo ipsis noceret, pollices ei præciderent. Sic Israelitæ, postquam Adoni Beseck, Cananæorum regem, vicissent, manuum pedumque pollices ei amputasse leguntur *Judic. I. 6.* quod tamen illi justo Dei judicio obtingebat, quod antea 70. reges eodem supplicio affecerat victos, cogendo eos, ut adjacerent mensæ ejus instar canum, indeque frustra & ossa decidentia colligerent, *v. 7.* Ita Philocles autor erat Atheniensibus, ut bello captis amputarent *τῆς χειρὸς δάκτυλον τῆς δεξιᾶς, ἵνα δέρον μὲν βασίλειον μὴ δύνωνται, κώτην τὸ ἐλάττειν δύνωνται;* ut tradit PLVTARCHVS in *Lyfandro*, & CICERO *lib. III. Officior.*

Officior. exemplo Æginetorum confirmat, quibus quod classe valebant, & nimis imminebat propter propinquitatem Ægina Pireo, pollices præcisos fuisse perhibet. Et LANDVLPHVVS *Sagax* in *Histor. Miscell. lib. XVI.* refert, Justinianum Imp. seditiosos quosdam Constantinopolin concitantes ideo pollice truncasse, ut eos armis movendis inhabiles redderet. Interdum quoque hæc pœna erat fugitivorum ex militia, & qui in furto comprehensi essent inter commilitones, ut dextræ ipsis amputarentur; ceu prodiderunt memoriæ FRONTINVS *lib. 14. Stratagem. c. 1.* & VALERIVS MAXIMVS *lib. II. c. 7.* item AMMIANVS *lib. XXIX. ibi: Sagittariorum primoribus manus incidit* &c. & LIVIVS *lib. 35. Cum transfugis novis mulcati virgis, manibusque præcisus, Capuam rediguntur.* Quam pœnam Imp. Constantius expressa desuper lege lata firmavit, *scil. l. 3. C. de serv. fugit.* qua desertores milites pedum amputatione coerceri, eademque parte multari jubentur, qua peccarunt; *conf. Auth. sed novo jure C. eod.* Nec mirum, pœnam eandem manere fures & fugitivos, quia qui sunt fugitivi plerumque & fures sunt, ut bene monet MARTIALIS:

*A pedibus didicere manus peccare protervæ;
Non miror furem, qui fugitivus erat.*

Hodie quidem inter Christianos principes defœdatio ejusmodi hominum non solet frequentari, uti vel ex solius *Potentissimi Regis Borussæ*, strenui alias disciplinæ militaris exactoris, Mandato *d. d. 7. Oct. 1712.* elucet, quo pœnam amputationis nasi & auris in desertorem statutam per *Mand. d. d. 15. May 1711.* in capitalem suspendii commutavit; *conf. CORP. IVR. MILIT. T. I. p. 567. & 573. ed. Lips. 1724.* quæ etiam communiter in milite fure obtinet, inprimis si constituatur in acie, aut modicum etiam furtum sæpius reiteraverit. Vid. *CORP. IVR. MILIT. sub voc. Diebstabl.*

Merito hæc poena & omnis alia multatio manus,
qua quis alteri damnum dedit, ab usu
recessit.

Obiter hic annotasse juvabit, non solum in militaribus delictis, sed & in aliis olim admodum frequentatam fuisse pœnam abscissionis digitorum, imo integræ manus. Sic ipsa lex divina *Deut. XXV. 11. 12.* mulieribus, pudenda viro- rum malitiose comprimentibus, manum amputari jubet. Et DIODORVS SICVLVS *Histor. lib. I.* tradit, *Ægyptiorum LL.* illos, qui monetam adulterarent, aut novâ substituerent pondera, aut sigilla transculperent; scribis etiam, qui tabulas falsas concinnarent, vel de relictis in tabulas publicas quidpiam demerent, aut syngraphas ementiras obtruderent, utraque manu privari voluisse: ut qua quisque corporis parte in legem peccasset, hac ad finem usque irreparabili cum damno & ipse culpam lueret, & alios poena hac sua commonesactos ab eo genere facinoris deterre- ret. Sic item apud Indos, ut STRABO notat *lib. XV. 1.* qui quem mutilasset, supra talionem, manu truncabatur: & SVETONIVS in *Galba* refert, eum nummulario, non ex fi- de versanti pecunias, manus amputasse mensæque ejus af- fixisse. Eodem pertinet Justiniani Sanctio, quæ exactori, non ex legis præscripto apocham conficienti, manus abscin- dendæ jus dedit Præsidibus Provinciarum in *Nov. XVII.* & in *Nov. XIII.* librorum hæreticorum scriptori eandem pœ- nam imposuit. Quin LL. Germanorum modernæ, & ipsæ Provinciales Saxonæ, nimirum ORD. CRIM. *Art. 107.* & 108. ORD. POLIT. *de A. 1661. tit. 4. & Const. El. Sax. 48. P. IV.* perjuris priores digitorum duorum dextræ manus articulos amputari mandant. Sed ut verum fatear, omnes hæc LL. ini- quitatem quandam in se continere videntur, dum hominem organo

organo illo privant, quod a Deo ad victum corporis quaerendum fere unice comparatum ipsique datum esse cernitur; nec adeo facile hodie in usum revocandæ sunt, sola pœna perjurii excepta. Hoc enim delictum quo & frequentius est & gravius, siquidem in divinam Majestatem committitur, & alterum lædit sub specie veri rectique; eo acrius illud omnino puniri fas est, si aliquando deregatur, ut exemplo mutilorum omnibus quotidie obvio alii horre-re discant temeritatem jurandi. Alias vero cum omnis pœnæ finis ad hæc tria referri debeat, ut reus emenderetur, læso satisfiat, & alii exemplo deterreantur: seu ut SENECA eloquitur de Clement. lib. 1. cap. 21. *In vindicandis injuriis hæc tria lex sequuta est, ut aut eum quem punit emendet, aut ut pœna ejus ceteros meliores reddat, aut ut sublati vel repressi malis securiores carere vivant*; evidens est, neutrum obtrineri mutilatione membrorum in his qui delinquant. Non emendantur, quin potius deteriores fiunt, dum ob dispendium corporis aliorum ludibrio & scandalo expositi, sibimet molesti, Reip. inutilis redduntur. Satisfactio rectius fieri potest parti læsæ, si ei damni a reo dati & lucri cessantis, v. g. ob mutilationem membri corporis, æstimatio præsteretur, quam si ipse reus eodem modo mutiletur; quo & respexisse præceptum divinum, quod de talione habetur, *Exod. XXI. 23-25.* OSIANDER notat in *Comment. in Gronium de Jur. B. & P. lib. II. c. 20. §. 10. n. 7.* Exemplo autem si in delicto opus est, pœna capitalis, aut quæ æquiparatur ipsi damnatio ad vitæ, metallum vel opus publicum, carceres perpetui, aut pro qualitate criminis alia, quæ in oculos incurrit, in facinorosum statui potest. In Saxonia hinc membrorum abscissioni, in ipso adeo blasphemie crimine, exæquata est pœna sustigationis per *Decis. El. LXXV.* Et in genere ex *l. 17. C. de poem. qua facies humana, quæ ad similitudinem coelestis pulchritudinis figurata est, stigmata maculari prohibetur*, argumentari licet, quod

quod omnes pœnæ, quæ ad mutilationem & deformationem hominis tendunt, inhumanæ sint, nimiumque abhorreant ab æquitate naturali, ac in ipsum quodammodo Creatorem injuriæ habeantur, dum scæde adeo ejus imaginem deturpant. Conferri interim metentur de hac re JO. PRÆTORIVS *Tr. de pollice*, qui pag. 136. seq. varia ex Historiarum monumentis exempla congeffit, ubi digitorum amputatio pœnæ loco obtinuit: & LINCKERI *Disp. de amputatione membrorum bis qui delinquunt*, *Fen. 1681.* ubi de eo, quod justum est circa hanc pœnam, latius disseritur.

VIII.

Qui sibi ipsis, ne militare cogentur, digitos amputarunt, Itali imprimis memorantur: fuerunt tamen Murci & inter alias gentes.

Locum Ammiani de hac re supra vidimus, & erudite observat JAC. GOTHOFREDVS *ad L. 4. & 10. Cod. Theod. de Tirōn. & l. 1. C. cod. de fil. milit.* contra Murcos latas, quas infra excutiam, omnes illas de Italis solum conceptas esse. Postquam enim Imp. Augustus mercenariam militiam invenerat, eoque futuris principibus exemplum dederat, ut milite Italico parcius expleret numeros, Itatorum animis ab arte militari ad studia pacis traductis, uni fere agriculturæ operam dare solebant, ut scribit HERODIANVS *Histor. lib. 2.* Gallos solos ab hoc delicto excipit *Ammianus XV. 12.* Equidem *Lex 5. C. Th. de Tirōn.* data est ad Viventium, Præfectum Prætorio Galliarum; sed probe monet GOTHOFREDVS *ad d. 1. Galliarum Præfecturam* in se continuisse quoque Britannias & Hispaniam, itemque Gentiles & Barbaros inter Gallos stipendia meruisse, quorum filii forte Murci fuerint. De Hispanis SPARTIANVS *in Hadriano* testatur: *eum Italicis delectam joculariter detrectantibus vehementissime, ceteris prudenter & caute consuluisse.* Quo loco joculariter est, non leviter aut per jocum & facetias, sed ridiculo more amputatis;

digitis; *Italici* sunt, non ex Italia orti, sed *Italicae* municipes in Hispania; *Vehementissime* consulere, est asperius & severissime cavere; uti GOTHOFREDVS *l. c. Tom. II. fol. 375. b.* difficiliorem hunc Spartiani locum interpretatur. De Illyriis idem testatur *L. 10. C. Th. de tiron.* quod ex ejus inscriptione probat GOTHOFREDVS *l. c. fol. 383. b.* siquidem data legitur a Theodosio ad Eutropium P. P; Eutropius vero sub Theodosio M. Praefectus Pratorio Illyrici fuit. Probat etiam subscriptio, nam Data Lex Eucherio & Syagrio COSS. i. e. A. C. 381. quo tempore Imperatorem adversus Scythicas nationes Illyricum infestantes bellum apparasse, & militum delectum instituisse refert ZOSIMVS *lib. IV.* Sic & JO. PRÆTORIVS *in Tr. de Pollice pag. 137.* exemplum 200000. militum adducit, qui in exercitu Barcozæ sibi digitum refecerint; quos omnes Italos fuisse nemo probabit: nisi omnino hic in numeri allegatione error commissus est, cum vix credibile, in tanta multitudine hominum omnes timidos, omnesque Murcos factos fuisse.

IX.

Poenā Murcorum fuit olim varia, alia etiam in iis, qui jam milites facti se mutilarent.

X.

Poenā eorum, qui militem digitis privant.

XI.

Hodie Murci equiparantur desertoribus militiæ, quandoque tamen arbitrarie puniendi.

Gravissimum quidem delictum esse, si quis detrectet minus militiæ, judicavit olim ARRIVS MENANDER *lib. I.*

lib. I. de re milit. & CHIRIVS FORTVNATIVS, ubi Rbe-
 tor. lib. I. p. 40. narrat: decem milites belli tempore sibi pollices
 amputasse, addit: Rei sunt lasæ Reipublicæ; pœna tamen pro qua-
 litate delinquentium, & frequentia criminis, & temporum con-
 ditione non certa, sed varia semper de Murcis habita fuit. Lex
 4. §. 10. D. de re milit. eum qui ad delectum non responderet, ut
 proditorem libertatis in servitutem olim redactum fuisse memorat,
 non dissimulat tamen, mutato statu militia recessum esse a capi-
 zis poena, quia plerumque voluntario milite numeri supplerentur.
 Eadem Lex in §. 11. & 12. eum qui filium suum subtrahit militiae
 belli tempore, exilio & bonorum parte multandum esse, si in pace,
 fustibus cædi jubet; quorum refert præceptum divi Trajani,
 quo deportatus fuerit, qui debilitarat filium delectum propter bel-
 lum indictum, ut inhabilis esset militia. Nec desunt luculenta
 ejus pœnæ exempla in Historia Romana. SVETONIVS in
 Augusto c. 24. refert; Imperatorem hunc Equitem Rom. quod duo-
 bus filiis adolescentibus, causa detrectandi Sacramenti militaris,
 pollices amputasset, ipsum bonaque ejus subjecisse bastæ. Et VA-
 LERIVS MAXIMVS lib. VI. c. 3. exempl. 3. commemorat: ne
 in C. quidem Vertieno, qui sinistra manus digitos, ne bello Italico
 militaret, sibi absciderat, severitatem Senatus cessasse; publicatis
 enim bonis ejus, ipsum æternis vinculis puniendum censuisse, ac
 effecisse, ut quem honeste spiritum profundere in acie noluerit,
 rursus in catenis consumeret. Postea tamen mitius sensit de
 Murcis Constantinus M. cujus in L. 1. C. Th. de fil. milit.
 hoc decretum habetur: Veteranorum liberos aptos militiae,
 quorum quidam ut desides recusant militarium munerum functio-
 nem, quidam adeo ignavi sunt, ut cum dispendio corporis militiae
 velint necessitatem evadere, jubemus, se ad militiam inutiles refe-
 ris digitis judicentur, Curialibus sine aliqua ambiguitate muneribus
 atque obsequiis adgregari. Curialium autem tanta olim
 fuerunt onera, v. g. in operibus publicis tuendis, l. 8. C. de
 ædif. priv. vectigalibus exigendis, & quod iis deerat de suo
 re

refarciendo, ludis & spectaculis populo exhibendis, &c. ut ob hanc in patriam munificentiam patrimonium plerumque exhaurirent, l. 8. D. de decur. & qui scelus aliquod admiserint, pœnæ loco Curialium Collegio mancipari, seu ut loquitur Justinianus in Nov. 123. τῆ βελῆ τῆς πόλεως παραδόντων tolerent. Imp. Valentinianus in l. 4. C. Th. de Tiron. de nullo confirmavit Constantini sanctionem, & qui se sponte truncaverint, noluit manus deformatione defendi, siquidem possint in quacunque Reip. parte prodesse; idem tamen in l. 5. eod. eos flammis ultricibus concremari, & dominum, qui ejusmodi irrogationem exhibere debebat, gravi condemnatione feriri iussit. Demum Theodosius M. in Codicis sui l. 10. de tiron. hanc in Murcos tulit sententiam: *Qui spurca amputatione digitorum declinat usum armorum, non evadat illa quæ virat, sed insignitus macula ferat impostum militiæ laborem, qui declinaverit dignitatem. Ipsis quin etiam Provincialibus, qui ex horum ansis juniorum (i. e. tironum l. r. C. Th. de Tiron. ibique Gothofredus) sæpe patiuntur penuriam præbendorum, (sc. militum) hæc optio immobilis decernatur, ut tempore delectus agitandi, ubi in commune cæperint convenire, duos mutilos juniores pro uno integro offerant.* Cum vero sæpius contingeret, non solum eos qui legendi erant milites, sed ipsos milites jam factos etiam, per seignitiam, vel contumaciam, vel desidiam murcos fieri, Imp. Justinianus, Rescriptum Hadriani secutus, hunc in l. 6. §. 7. D. de re milit. pœnæ eorum modum esse voluit; ut qui se vulneraverit impatientia doloris, aut tædio vitæ, aut morbo, aut furore, aut pudore mori maluerit, in eum non animadvertetur, sed ignominia mittatur; si autem nihil tale præcedat, capite puniatur; per vinum etiam aut per lasciviam lapsis capitali pœna remittenda, & militiæ mutatione irroganda. Eandemque sententiam in l. 38. §. 12. D. de pœn. ex JVLII PAULI Sentent. recept. lib. 5. tit. 31. in fin. adoptavit, suaque autoritate approbavit: conf. SCHVLTINGII Jurispr. Ante-Justin. p. 529. in not. ad d. l.

ad d. l. Denique si non ipse miles, aut tiro metu militiae digitum sibi amputaverint, sed tertius vel iubentibus iis id patruerit, vel injuria aut casu militem pollice truncari ab aliquo contingat, sequens in veteri Bajuvariorum lege c. 3. n. ii. habetur pœnalis Constitutio:

1. Si quis alicujus pollicem absciderit, cum XII. Solidis componat.

2. Et si proximum a pollice, vel minimum absciderit, cum

IX. Sol. componat, unum sic, & alium sic.

3. Illos medianos duos digitos cum X. solidis componat, unum cum 5. Solid. & alium cum 5.

4. Et si non fuerint abscissi, & est mancus, stat rectus, ut non possit plicare, hoc impedimentum est ad arma bajulare; major est compositio quam de abscisso, vertiam partem super addet; ad XII. adde IV. fiunt XVI. ad IX. adde tres, fiunt XII. ad V. adde duos & tremissim, fiunt VII. solidi & tremisses. Sic eum debes judicare, & sic componere.

Similem huic aliam ex antiqua Saxonum lege adducit *DEMPSTERVS ad Rosini Antiqq. p. 184.* Quid vero hodie obtineat, vide apud *CARPZOVIUM in Pr. Crim. Qv. XCIX. n. 34. sq.* Hodie Murci, sive detrectandae militiae ergo principis sui territorii fines excedant, sive, ut delectum effugiant, mutilatione corporis se muneribus militaribus inhabiles reddant, desertoribus æquiparantur, iisdemque pœnis subjacent. Ex multis aliis Ordinationibus militaribus videri in hanc rem potest *Mandarum Regis Borussiae de A. 1713. CORP. JVR. MILIT. Tom. I. pag. 669.* ex quo hæc notabiliora sunt verba: *Daß die so aus Furcht der Werbung austreten, oder sonst aus unanständiger Zaghaftigkeit sich derselben entziehen, vor wirkliche Deserteurs geachtet, und gleich ihnen an Leib und Leben gestraffet werden; die aber solchergestalt ausgereten und nicht wieder zu ertappen seyn, vor insam und ehrloß declarirt, ihre Nabmen an die Galgen geschlagen, und ihr Vermögen auf ewig confiscirt werden solle.* Nec illud immerito, imo durius tractandi esse videntur, qui mutilant corpus suum, ut ne eo

C

obse-

obsequia præstent principi, pro quo tamen vitam profunderè fas est, quam qui fugiunt saltem militiam. Fugere enim eos inertiae tantum & timiditatis arguit, at mutilare membra, & in proprium corpus sævire, etiam obstinationis & præfractæ malitiæ reos facit. Narrabo tamen casum, ubi novissime mitior longe lata fuit in Murcum sententia. Scilicet cum proxime elapso anno delectus militum haberetur in Saxonia, imperato in singulas civitates & pagos certo numero præbendorum tirorum, rustici in vicino pago *Leza* suis hominibus parcere volentes, alium circumspiciebant quem pro se offerrent Militiæ Provinciali. Opportune Pastoris Ecclesiæ ex vicino pago *Blönsdorf* servus, *Jacobus Wächterus* nomen ei erat, per agrum eorum vehiculum ducit, nec illud onustum quidem. In hunc illico irruunt, eumque sub prætextu pignorationis manu facta adoriuntur, ac pignore licet ab eo capto non dimitrunt tamen, sed increpantes quod resisterit & pignus non ultro obtulerit, abstrahunt secum in domum Sculteti sui, itentidem in via minati, se ipsum oblaturus militiæ, quia tam strenue resistere posset. Quid hic ille? cum natura timidus, tum vice alius pagi Martis veluti sacrificium fieri renuens, arrepta in domo Sculteti securi, quasi aliud agendo, inspectantibus omnibus primum indicis articulum sibi præcidit, iisque objiciendo eum false deridet, quod spes ipsum addicendi pro iis militiæ adeo eos fefellerit. Petebatur jam in hoc casu ab *Ordine JCtorum Wittebergensium* decisum, idque tale reddatum fuit: *Es ist Jacob Wächter wegen seiner begangenen und gestandenen Excesse, gestalten Sachen und Umständen nach, über die bereits erlittene Haßt amnoch sechs Tage mit Gefängniß oder um ein Nfso. zu bestrafen, oder auch vor jeden Tag Gefängniß drey Tage lang mit gewisser Hand-Arbeit zu belegen. Ingleichen Christoph Rettrichen und Conf. ihr ungebührliches Unternehen, daß sie Wächtern wieder seinen Willen zum Recrouten gebrauchen wollen, ernstlich und nachdrücklich zu verweisen;*

weisen; ingleichen dieselbe sowohl als Wächter, zu Erstattung derer in der Sache aufgelaufenen Gerichts-Kosten anzubalten, hingegen Wächter mit Bezahlung des Sirze- und Wächter-Geldes zu verschonen. V. R. W. Eadem vero poena Murcorum teneri fas est, qui quidem se non mutilant, alio tamen modo subterfugere militiam conantur. Quale exemplum eodem, de quo modo dixi, delectus Saxonici tempore hic loci accidisse recorder, ubi quidam eo consilio se Carnificum consortio adscribi patiebatur, ut tanquam persona infamis miles legi non posset.

XII.

Nemo timidus ad militiam subeundam cogi debet.

In Theocratia Israelitica quidem id certi expeditique juris erat. Nam *Deur. XX. 8.* bello indicto jubetur Sacerdos belli alta voce ex edito loco hæc effari ad populum: *Quis est homo formidolosus & corde pavido, vadat & revertatur in domum suam; ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est!* Eademque verba cæteros sacerdotes non unctos, ante conflictum per singulas turmas militum eundo, denuo repetiisse, autor est MAIMONIDES *de regib. eorumque bell. c. 7.* Memorabile hujus rei exemplum præbet *Historia Judicum c. 7.* ubi in bello Gideonis contra Midionitas, ad præconium ejus legis, 22000. ex Israelitis discessisse, & ex superstitibus 10000. vix trecenti in aciem delecti fuisse perhibentur; cum Deus hoc de fortitudine eorum & præstantia experimentum caperet, ut saltem ii, qui fluminis aquam more canum ore lamberent, ad conflictum digni haberentur, reliqui vero, qui ad genua provoluti eam manuhaurirent, segregentur. At hodie frequentissime homines

liberi obtorto collo ad militiam abstrahi, & verum Plagium in eos committi solet. Peculiari Differtatione *de hoc Plagio militari* egit SEPTIM. ANDR. MERCKLINVS, *Altdorf. 1728.* Solet quidem illud defendi ex eo, quod Principi in subditos competat dominium eminens; item quod coactio perditorum hominum ad militiam optimum sit remedium, levandæ Reip. ab ignava & seditiosa plebe; sic improborum sententiam e navi Reip. exhauriri. Sed vereor, ut non illo dominio eminente, quod pertinet omnino ad jus regium, *1. Sam. VIII. 11-16.* Principes sæpe abutantur, & ex sola tyrannide, ut civium, vel avaritia, ut vicinorum vires atterant, vel vanitate, ut quondam Rex Saul, *1. Sam. XIV. 52.* militem undiquaque conscribant, & magnas copias alant. Neque tunc improbos, sed optimum quemque legunt; & si mali recipiantur in militiam, ibi non emendantur, sed libere magis grassandi licentiam accipiunt. Coactio autem timidorum ad bellandum plane repugnat militari prudentiæ. Quæ enim fides illis esse poterit, qui catenis & verberibus ad præstandam eam adiguntur? Quæ pugnandi solertia & alacritas ab iis expectari, qui timent hostem, & ad pugnandum, veluti canes inviti ad venationem, impelli debent? Galeatos lepores vocat ejusmodi milites Cornificius Poeta apud CÆL. RHODIGINVM *Antiq. lect. lib. 26. c. 31.* & rectissime judicabat M. Aurelius Imp. Rom: *in ipso congressus cum hoste articulo talium fugientium unum plus nocere, quam bis mille pugnantes prosunt.* Nec credas, eos imperio militari facile doceri posse fortitudinem. *Infidelis enim recti magister merus est,* teste PLINIO in *Panegy. c. 56.* & in militibus non nisi desertores, rebelles & proditores parit. *Nescio sane an imperantes hostem magis, quam ejusmodi exercitum, cujus milites non amore erga patriam, non causæ justitiæ, sed meru & vi adducti arma capessunt, meruere debeant?* prudenter hic ait BVDDEVS in *Select. J. N. & G. Disp. de officio Imperantium circa conscribendum militem,* f. 12.

f. 12. p. 464. Saxonia certe, uti alias sapientissimis regitur LL. & gentibus vicinis, ut quondam Hebræa gens Ægyptiis, & Græcia Romanis, & Roma omni cultiori terrarum orbi, semper exemplum præbuit prudentiæ legislatoriæ; ita hac in parte quoque *in der Sächsl. Ern. Kriegs-Ordonantz de Anno 1714. f. 19.* cavet: *Daß die Werbung so viel möglich ausserhalb Landes, in demselben hingegen ohne allen Zwang, und Gewaltthätigkeit, auch nicht mit Drohungen, Schlägen, Hinwegnehmung derer Leute aus denen Häusern und von denen Strassen, Einsperrung in die Corps des Guardes, oder auf andere verbotene Weise geschehen solle.* CORP. IVR. MIL. T. I. p. 283.

XIII.

Non tamen quisquam subditorum, nisi ex justa causa, militaria munera subterfugere debet.

XIV.

Et in summa Reip. necessitate, etiam iis qui alias a militia habent immunitatem, pro aris & focis pugnandum est.

Mirari quis possit, qui hodie inter Germanos, quæ gens bellicosissima olim fuit, hodie sæpenumero Murci dentur. Sed rem acu tetegit BVDDEVS *in cit. Select. J. N. p. 450. sq.* ubi quatuor inprimis rationes affert, quare a majorum virtute adeo desciverimus. Primo dicit, ætatem juvenilem, quæ teste CÆSARE *de B. G. lib. VI. c. 21. olim in venationibus & studiis rei militaris consistit, & a parvulis labori ac duritia assæta erat*, hodie in mollitie, luxu, ac omnis generis vitis; laborum autem, frigoris & æstus summa impatientia

transigi, nostris juvenibus in umbra & ædium angulis assidue delitescenribus. Deinde ait, paucos veræ pietati solidæque virtuti studere, longe plurimos in sceleribus volutari; quibus adeo grave sit militiam, & cum ea rigidam disciplinam, & præsentissimam mortem oppetere. Porro fraudibus præfectorum militibus non rite persolvi stipendia, quos ergo, cum alias unde vitam tolerant non habeant, ut milites mereri detrectare, ne aut fame perire aut furtis vacare necessum habeant. Denique nullam fidem pietatemque esse viris qui castra sequuntur, hinc nemini vitio verti posse, si ejusmodi vitæ genus, in quo facile salutis æternæ periculum incurrit, fugiat & aversetur. Has vero conquerendi causas si subditi bono principi objicere non queant, qui eos milites legit, sine murmure sequi debent. *Malus enim miles est, qui Imperatorem gemens sequitur.* SENECA *Epist. 108.* Justissima ergo lex fuit Spartanorum, quam refert *Lycurgus orat. contr. Leocratem*, ut de nolentibus pro patria subire periculum, ut moriantur, illud ipsum supplicii loco sumeretur, quod maxime metuunt; quia propositis duobus vitæ discriminibus, potius id electuri sint quod ab hoste, quam quod a civibus & I.L. imminet. *Add. Lex Longobardorum lib. III. tit. 13. §. 1.* Dulce est pro patria mori, nec quisquam juste timet mortem, ut principem suum aut patriam minus tueatur, quibus tamen vitam debet & salutem, dum salvis iis liber hætenus a periculo mortis, & in rerum suarum tranquillo statu vitam egit. Est hæc obligatio, ad defendendam armis salutem Principis tanta, ut nec immunitas quæcunque aut privilegium aliquem excuset, quo minus in extrema necessitate ipse militaria munera subire debeat.

Vocant extrema pericula cunctos;

Sicut Romæ quondam vacationes a bello, quibus alias Seniores & Sacerdotes gaudebant, bello Gallico ingruente cessabant. APPIANVS *de bell. civ. lib. 2.*

XV.


Omnium minime ergo quis defugiendæ militiæ
causa se mutilare potest, quod illud nec alias
licet, cum nemo membrorum suorum do-
minus videatur. L. 13. pr. D.
ad L. Aquil.

Murcorum quidem intentio fundata esse videtur in l. 9. §.
7. D. de pecul. ubi dicitur: quod cui naturaliter servire
liceat in suum corpus. Nec desunt sanctissimorum hominum
exempla, veluti: S. Marci, qui sibi pollicem præcidit, ne sa-
cris initiaretur; Origenis, quem semetipsum castrasse refert
EVSEBIUS H. E. lib. VI. c. 7; Leonis I. P. R. qui se manu trun-
casse dicitur, quod eam contactu formosæ mulieris sensu
venereo affectam deprehenderit, de quo tamen vid. BARO-
NIVS ad A. C. 461. n. 8; item S. Lucie, quam laudat COR-
NEL. A LAPIDE Comment. in Prov. IX. 15. quod sibi oculos
eruerit, quibus amore captus esset Princeps quidam; quibus
autoribus Marci quoque factum suum comprobare posse vi-
dentur. Conf. M. DAN. SCHREITERI Dissp. de voluntaria
corporis sui mutilatione, Lips. 1689. At respondemus ad d. l. 9.
sapere eam Scholam Stoicorum, ut multas alias LL. eique
merito opponi l. 23. §. 3. D. de ædil. edict. quæ malum eum ser-
vum habet, qui peccat in corpus suum, tanquam nihil non ausu-
rum in alios, qui hæc adversus se ausus esset. CORN. VAN BYN-
CKERSHOEK Observ. lib. IV. c. 4. Qui mutilat semet ipsum,
sui est homicida, & Dei conditionis inimicus; graviter præ-
cipit c. 4. dist. 15. Membra corporis nobis conservandi, non
perdendi causa data sunt; nec omnino ex consilio Medici,
nisi summa necessitas urgeat, ut si v. g. ob gangrænam tori
cor-

corpori pereundum sit, abscindi debent. Videantur de hoc argumento DVNTE *Cas. Consc. Sect. II. Qu. 34. seq.* ZACCHIAS *Quæst. medic. legal. lib. 8. tit. 2. qu. 4.* M. WERNHERI *Disp. de jure sibi ipsi nocendi, Lips. 1706.* & JO. ERN. SCHOPPERI *Disp. de proverbio: Hände und Füße wachsen nicht wieder, wie die Krebsbeeren. Rost. 1712.* Arbitraria ergo pœna est femet ipsum vulnerantis, si id fiat extra casum militiæ detrectandæ. CARPZOV. *Pr. Crim. Qu. 2. n. 45. 46.* Murci enim, & qui sacramentum militare præstiterunt, tessera loco sibi dictum putent, quod habet SENECA *lib. I. Controv. 7. Cætera membra mea sunt, manus publicæ sunt. ergo Paræ iis manus sunt servandæ Deo, Regi, Legi.*

COROLLARIUM

Murci involuntarii, *c. 6. dist. 55.* & qui sine scandalo sacro munere fungi possunt; *c. 2. X. de Cler. agroz. ut & omnes reliqui corpore vitiati r. r. X. de Corp. vitiat. ordin. vel non,* sub prædictis conditionibus ab officio Ecclesiastico ambiendo neque arceri, neque ab eodem ob ejusmodi vitium removeri debent. Non obstat *Levit. XXI. 17. seq. Conf. WAGENSEIL. Disp. de corpore vitiatis ordinandis vel non, Altorf. 1697.* D. SCHAMBERG *Disp. de Jure digitorum, c. 1. §. 10. Lips. 1715.* & HORNII *Consultat. Cl. I. Resp. 15. ubi casum habet, von einer zum Decanat eines Dom-Capituls postulirten Person, der die lincke Hand gefehlt, an deren statt sie sich einer Metallnen bedient, so mit einem Uhrwerck versehen gewesen.*

SS) o (SS


WITTENBERG, Diss., 1735

(1,5)

ULB Halle

3

004 701 917



Sl

VD-18







Q. D. B. V.
EX IVRE MILITARI

1735

26.

3

DE
M V R C I S

Von POLTRONS

AD DIEM VI. IDVVM OCTOBRIS a^b I^b CC XXXV.
IN ALMA WITTENBERGENSI

PVBELICE DISPVTABVNT

P R A E S E S
**FRIDERICVS BENEDICTVS
CARPZOVIVS**

I. V. D.

ET RESPONDENS

**CHRISTIANVS RVDOLPHVS
HERZOG**

LOEBNITIO - MISNICVS

I. V. S.

WITTENBERGAE
EX OFFICINA HAKIANA.